

B



EXERCITATIO
M E D I C A
QVADRAGESIMA
SECVND A:

*In almâ Argentoratensium Aca-
demiâ proposita:*

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico:
& Reipubl. Physico constituto:

Respondente
MICHAELE RUPERTO BESLERO,
Norimbergensi.

ARGENTORATI,
Typis exscribebat Joannes Andrea.

Anno M. DC. XXVII.

V I R O

Nobilissimo, Clarissimo & Excellentissimo,

DN. GREGORIO
QUECCIO, PHILOSOPHO
ac Medico experientissimo, Promotori &
Fautori, eâ quâ par est observantiâ colendo

Medicinales hasce positiones, gratitudinis ergò

D. ac Consecrat

Respondens



PROBLEMA I.

Sitne conceptio attractio tantum atq; retentio seminis : an verò propria & peculiaris quaedam uteri actio ? Fernelius l. 7, φυσiol. c. 8. *conceptionem negat tantum attractionem & retentionem seminis esse. Etenim non raro, inquit, avidus uterus semen attraxit, quod diu continere non potuit : sed biduo, aut triduo sicut elabi. Et quandoq; illud diutius reservat : sed inutiliter : ut fieri videmus in molâ : quæ tamen conceptio vera non est. Hujus enim mole opprimitur & laborat, perinde ut ventriculus cibo gravi & immutabili, quem tamen traxit ac continet. Vult autem, ούλλητιν propriam ac peculiarem uteri esse actionem, quâ seminis potestas exsuscitetur, & insitum sibi munus re ipsâ obeat atq; exequatur. Quemadmodum enim, ait, terra ferax & fecunda exceptum semen suo calore fovet; deinde excitat & ad parturiendum impellit: sic uterus fecundus ingenitâ vi, quæ nulli alteri parti est concessa, sopitam seminis vim & delitescentem in eo potestatem excitat, & ad agendum extimulat, ut energia fiat & dicatur. Fernelio subscribit Andr. Laurentius l. 8. anat. c. 4. qui & ipse conceptionem statuit exuscitationem seminis, hoc est, eruptionem potestatis ejus in actum. Nos persuasum habemus, conceptionem per se & formaliter comprehensionem, complexionem, sive retentionem seminis esse : illius verò exuscitationem & deductionem in actum de naturâ & essentiâ conceptionis propriæ non esse : sed tantum εὐνοῦν aliquod. Semine quippe apprehenso atq; retento, fit, ut à calore uteri sopita & delitescens illius δύναμις in actum erumpat.*

A 2 Quemadmo-

Quemadmodū enim formatio, nutritio & accretio infantis con-
 sequentia sunt mediata attracti retentiq; seminis: sic ex suscita-
 tio virium in semine latitantium immediatum ejusdem est con-
 sequens. Proximè enim retentum semen sequitur. Longiùs au-
 tem abest formatio, nutritio & accretio: quia non fiunt, nisi se-
 men priùs sit actuatam. Distinguendum igitur inter anteceden-
 tia & consequentia conceptionis, & conceptionem ipsam. Con-
 ceptionem antecedit seminis virilis emissio, emissiq; attractio.
 Eam verò consequitur, actuatio. Ipsa autem retentio concep-
 tionis appellationem propriè meretur. Probat hoc nominis ratio: pro-
 bātq; rei eventus. Σύλληψις enim ἀπὸ τῆ συλλαμβάνειν dicitur, quod
 concipere & comprehendere significat: quam derivationem licet
 Galenus l. 1. de sem. c. 2. mulieribus ferat acceptam: eam tamē
 calculo suo confirmat. Nam quæ semen excernunt, non concipi-
 unt: quæ verò illud retinent, concipiunt & impregnantur: &
 ab hac comprehensione ac retentione mulieres computi sui facere
 solent initium. Fernelij argumenta parum probare videntur.
 Concedimus, attractum semen aliquando non retineri: sed post
 biduum, aut triduum, effluere. Ideoque tūc veram factam
 esse conceptionem negamus: aut si maximè conceptio appel-
 landa sit, brevi solum temporis spatio eam durasse asserimus.
 Quod si semen diu quidem retineatur: sed inutiliter: nihilominus
 factam esse conceptionem dicimus: et si vanam atq; irritam. Nam
 retentio seminis, ex quo mola nascitur, etiam conceptio est: licet
 rei sit inutilis.

II.

Vtrum conceptio & impregnatio sint unum & idem:
 & quæ sint necessaria, ut bona fiat conceptio? Ad prius qua-
 situm respondemus, tametsi cōceptio & impregnatio, (σύλληψις καὶ
 κίνησις) sæpè ab authoribus pro vnâ eadēmq; re accipiantur: reve-
 rā tamen diversa esse. Illa enim præcedit: hac sequitur. Illa est se-
 minis: hac illius, quod ex semine generatum. Illa primis fit die-
 bus: hac durat usq; ad partum. Illa solvitur ἐκρύσει, effluxione:
 hac ἐκτρέψεται, abortu. Sic enim διαφθορὰς, corruptiones, quæ iis,
 quæ

qua conceperunt, & imprægnata sunt, quandoq; accidunt. Hip-
 pocrates l. de septim. partu, & Aristoteles l. 7. hist. an. c. 3.
 appellant. *Ἐκγονίον* enim *ῥοῦν* est, sive *σπέρμα* los, seminis: *ἔμβρυον* μὲν
 verò foetus, sive embryonis; tum imperfecti, tum perfecti atq; absoluti.
 Illa accidit intra diem septimū: hic reliquo tempore, quo, quod cō-
 ceptum est, non amplius fluidum: sed solidum existit: & tribus
 insignitur nominibus. Vocatur enim *κόμμη*: cum adhuc valde est
 rude & informe: *ἔμβρυον*, cum delineationem & adumbrationem
 quandam partium habet: deniq; *καὶ ἰσχυρὰ καὶ κρῖνος*, cum perfectam
 membrorum discretionem & confirmationem adeptum. Nam
 Galenus l. 1. de sem. c. 9. totum formationis opus 4. distinguit
 temporibus: ut suo loco latius explicabimus. Ad posterius dici-
 mus, ad felicem conceptionem & imprægnationem duo potissimū
 requiri: convenientem materiam, & locum aptum atq; idoneum.
 Materia duplex est: altera generationi partium solidarum: altera
 constitutioni partium carnosarum, & utrarumq; nutritioni di-
 cata. Illa semen est sexus utriusq;: quod in quantitate debet esse
 sufficiens: in qualitate benè temperatum. Hac sanguis est men-
 struus: cujus similiter & iusta quantitas, & proba qualitas requi-
 ritur. Locus uterus est: quem decet esse repurgatum, seminisq;
 appetentem, a vidēq; hoc ipsum è cervice propriā trahentem, &
 tractum undiq; amplectentem ac continentem, connivente in to-
 tum orificio interiore. Adhuc benè temperatum. Nam qua fri-
 gidos ac densos habent uteros, inquit Hippocrates aphor. 62. l. 5.
 non concipiunt. Et qua præhumidos habent, gravidari nequeunt.
 Extinguitur enim in ipsis genitura. Et qua sicciore ac æstuosos.
 Nam alimenti defectu semen corrumpitur. Quæ verò ex utrāq;
 oppositione moderatam nactæ sunt uteri *κρῖνος*, eæ fecunditate
 valent.

III.

An uterus vim aliquam habeat agendi in generatio-
 ne & formatione foetus? Clarissimus Fernelius l. 7. *ἰστοριῶν*
 c. 8. scribit, uterum semen attrahere, attractum continere, &
 contentum concipere: haud secus atq; ventriculus tractum con-

A 3

tentum.

tentumq; alimentum conficit. Ut enim subdit idem, concoctio
ventriculi: sic conceptio uteri propria est actio. Et Andreas
Laurentius l. 8. anat. c. 4. ait, *κύνμα*, sive *κύνσις*, esse vivificatio-
nem seminis secundi ad formandum foetum, quae à proprietate u-
terini corporis pendeat. Quae dicta si secundum literam intelli-
gantur, innuere certè videntur, uterum non exiguas vires ad ge-
nerationem hominis obtinere. Nam si uterus ventriculo similis est
in eo, quòd, quemadmodum hic alimentum conficit, ex eoq; chylū
gignit: sic ille contentum semen concipiat: sequitur sanè, non par-
vas illius vires esse in generando & formando foetu: quia maxi-
mè sunt ventriculi in procreando chylo ex assumpto cibo. Rursus,
si *ιδιοσυγκρασία* uteri semen vivificat, uti credit Laurentius, ge-
nerationis & formationis causa erit propterea, quoniam vis pla-
stica animae facultas est, & ab *ιδιοσυγκρασία* uteri dependet. Quod
autem causa est causa, id etiam causa est causati. At uteri *κράσις*
causa est virtutis plasticae, quae foetum fingit. Semen enim vivifi-
cat, uti dictum. Ergò etiam causa est ipsius causati, generati scil.
atq; formati. Verùm nos non tam ad *το γένος*, quam ad *την διά-
φοραν* tantorū virorum respiciendum arbitramur. Nil enim aliud
innuere videntur, quam quòd uterus suo calore semen in actum
deducat, virèsq; illius sopitas ac delitescentes exuscitet. Propte-
rea Fernelius illum terra assimilat. Quemadmodum enim terra
ferax & foecunda exceptum semen suo calore fovet: deinde exci-
tat, & ad germinandum impellit: sic uterus calore suo latitantem
in semine potestatem excitat, & ad operandum instigat. Ad pro-
blema ergò respondemus, concurrere uterum ad generationē
& formationem foetus, non ut causam principalem, neq; ut cau-
sam adjuvantem: quia eam non operatur vi suā, h. e. sibi inhæ-
rente: sed partim ut causam sine quā non: partim ut causam indi-
rectā & accidentariam. Cum enim locus sit, in quo varia seminis
mutationes fieri debent: sine loco autem nullus celebrari motus
possit: rectè causa sine quā non statuitur. Talis enim causa nomen
meretur qualibet conditio & circumstantia ad causati productio-
nem necessaria: etiamsi nullam vim causandi per se habeat. Quia
verò

verò primùm fœmineum semen excipit : masculcum autem, ex propriâ cervice trahit, & in sinum suum recondit : deinde ambo semina congregat atq; consociat : tertio ea retinet : quatenus, ut Galenus l. 3. de nat. fac. c. 3. & l. 1. de sem. c. 2. loquitur, sese contrahit, & miscellam seminum undequâq; comprehendit, ac orificium interius ad eò arctè claudit, ut, ne specilli quidem mucronem admittat : quarto latentes seminum divâquis suscitât, & quasi in apertum profert : idè non immeritò causa generationis & formationis indirecta & accidentaria appellatur : quia nisi hæc præstaret, generari & formari fœtus nunquàm posset.

IV.

Quæ sint conceptionis & impregnationis signa ? Nôsse impregnationem & conceptionem summè necessarium est : non solum propter mulieres, quæ judicium & sententiam Medicorum sæpè expetunt : sed etiam eam ob causam, ut Medicus ægrotantibus tuto medeatur. Signis autem impregnatio ad sui dignotionem medicis & postremis mensibus opus non habet. Opus habet tantum primis. Hippocrates tradit varia. Libro περι γυναικων scribit, conceptus signum esse, si semen à coitu manserit intus in utero, non effluxerit. Libro περι φουρου καταδεις suppressionem ponit menstruorum. Libro de carnibus ait, ex relatione mulierum se habere, conceptionem factam esse, si mulier horreat, caleat, strideat dentibus, convulsionemq; patiatur, tum in articulis, tum in corpore toto : deniq; si uterum torpor ac segnitie occupet. Libro de superfoet. & libro de sterilib. inquit, impregnatas oculos habere distractos & cavos ; album in oculis apparere lividius : faciem fœdari maculâ solari : ventriculum averfari cibos, & vinum : orificium ventriculi sentire morsus ; os salvâ abundare. Libro 2. prophet. ait, gravidis generari lac in mammis. Aphor. 51. sect. 5. tradit conniventiam, sive constrictionem oris uteri. Quod signum Galenus in comment. dicit esse maximum : & deprehendi posse asseverat, si obstetrix digitum immittat. Statim enim cum uterus semen exceperit, totum sui interius spatium

spatium contrahit, & orificium claudit. Clauditur quidem etiam
praesente tumore & phlegmone: sed tum durum est. Aphor 61. l. 5.
asserit, pregnantem esse mulierem, si menstrua purgationes, sine
tamen horrore & febre, retineantur, cibiq; accidat fastidium. A-
phor. 41. sect. ejusdem hanc dat *δοκιμασίαν*: si scire velis, an mu-
lier conceperit, dormitur à aquam mulsam potui dato: & si ven-
tris tormina patitur, concepit: sin minus, non concepit. Aliam
docet l. de steril. ex aniso subtilissimè trito, cum melle, modicâq;
aquâ, ut mel diluatur, ante somnum exhibito. Nam si tormina
circa umbilicum sentiat, pragnans est: sin minus, non est. Causam
dat Galenus in com. quia mulsa haec cruda est & flatuosa. Itaq;
flatus retenti intestina distendunt, & tormina excitant. Reti-
nētur autem ob contractionem intestinorum: quae contrahuntur,
tūm quia contractus uterus: (concepisse enim praesupponitur?)
tūm quia ventriculus cibo distentus. Vult enim, *μαλινγатор* offe-
rendum esse faemina ventre pleno, h. e. ubi caenata est, & cubitū,
ire cupit. Galenus quadam alia facta conceptionis signa habet.
Nam l. 1. de sem. c. 2. fatetur, cognovisse se ex mulieribus, eas
concepto semine quandam in utero motionem sentire, quae ute-
rum convellat & in se contrahat. Et l. 3. de nat. fac. c. 3. monet,
mulieres pro certo habere, concepisse se & gravidas factas esse, si
& orificium matricis citra phlegmonem, aliumve affectum, con-
niveat, & sentiatur primis diebus, potissimum eo ipso, quo semen
conceperunt, quidam contractionis motus. Aristoteles l. 7. hist.
an. c. 3. mulierem concepisse docet, cum statim à *συνουσία* conjugali
locus siccescit. Indicium enim est, sperma mansisse intus. Addit
& ex Hippocrate suppressionem mensium, & generationem la-
ctis, & plenitudinem, sive amplitudinem, τὸν λαγόνον, ilium: quae
tamen in gracilibus est evidentior magisq; conspicua, itemq; τὸν
βυβόνον, inguinum. Avicenna l. 3. Canon. fen. 21. tract. 1. c. 11.
longum recenset signorum catalogum: quorum tamen aliqua jam
fuerunt narrata. 1. Est convenientia & concordantia seminis
masculi & faeminini. 2. Teper quidam succedens congressui
connubiali. 3. Suctionis cujusdam perceptio in capite virga, cum
emittit

emittit sperma. 4. Inclinatio quadam ad sicci cum actum peregit.
5. Coniuentia orificij matricis, ut stylum non admittat. 6.
Elevatio oris ejusdem ad superiora & anteriora. 7. Contractio
oris, sine tamen duritie. 8. Suppressio mensium: vel parcior saltem
evacuatio. 9. Difficultas, quæ nonnunquam in mingendo se offert.
10. Tedium & fastidium coitus. 11. Semen non emittit, etsi rem
habeat cum viro. 12. Dolor, qui in coitu accidit sub umbilico, &
nausea. 13. Angustia pectoris. 14. Pigritia & gravitas corporis.
15. Malitia animæ: (morositatem forsitan intelligit, & proclivita-
tem ad iram.) 16. Nausea. 17. Eructatio acida. 18. Horripilatio.
19. Cephalalgia. 20. Vertigo. 21. Caligo oculorum. 22. Palpitatio
cordis. 23. Depravatio appetitus, quam Picam vocant: præsertim
post mensē primū, aut secundū. 24. Color citrinus albi in oculis. 25.
Cavitas oculorū. 26. Mellificatio palpebrarū. 27. Mineratio pupillæ.
28. Alteratio coloris in facie. 29. Phantasia & impressiones alienæ:
eæq; plures & vehementiores, cum gestatur fœmella. 30. Sedatio do-
lorum dorsi & coxarū, qui prius vexabāt: idq; propter caliditatē
matricis: qui tamen in partu redeunt. 31. Alteratio corporis: (glossa
habet, mammillarum.) Moles enim, substantia & color earum mu-
tatur. 32. Urina in principio impregnationis est citrina, vergens
ad subalbedinem: (glossa habet glaucedinem: alia plumbeitatem,
vel fuscenedinem.) In medio ejus volitat aliquid, quod carptæ lanæ
flocculos refert. Est quoq; impregnationis signum urina substantiæ
pura, cui aliquid innatat, quod est simile nubi. Certius signum est,
quando in eâ conspiciuntur veluti grana ascendentiæ & descen-
dentiæ. In fine impregnationis apparet rubedo in eo loco, in quo
apparuit in principio ejus subalbedo, sive glaucedo. Turbatur
quoq; urina, quando movetur matula. Non turbatur, cum mu-
lier est in principio gestationis. Ultimo dignoscit etiam impre-
gnationem per experimenta. Primum est, quod Hipp. proposuit
aphor. 41. s. 5. de Melicrato: dicitq; certum esse, nisi in ijs, quæ
asueverunt illius potui. Secundum ejusdem est Hippocratis a-
phor. 59. s. 5. Mulierem enim veste præligatam & undiq; obvo-
lutam subter suffiri jubet: ac si odor corpus pervadere videatur ad

B

nares

nares & os usq^q, minimè pregnantem iudicat. Tertium est istud. Iejuna fœminæ allium supponit, & indormire eam allio consulit: siq^q, saporem & odorem allij in ore ejus sentiat, liberam eam pronunciat. Quæ duo experimenta etiam Aëtius tetr. 4. serm. 4. c. 7. tradit. Suffitum autem parat ex resinâ, & infernas partes vestimentis probe tegit, vaporèmq^q per infundibulum in pudendum immittit. Allium verò sumit decorticatum, idq^q lana involuit, & in formâ pessi muliebri sinui applicat. Capite v. 8. eadem ferè signa conceptionis repetit, quæ potissimùm ab Avicennâ tradita: si scil. ab obstetrice interrogata respondeat, se post concubitum viri semen non effudisse, & in ipso coitûs opere horrorem quendam percepisse, & modico dolore circa pudendum ac umbilicum vexari: præterea si pudendi sinus & os arida sint: & uteri osculum non durum, nec inflammatum: sed interiùs ac exteriùs occlusum fuerit, & aliquantulum sursùm progressum. Et si Veneris appetentia languerit, & menses solito tempore non apparuerint. Si vena pectoris virere, & mamma intumescere inceperint, & progressu temporis lac habuerint. Si cavitates oculorum subpallida fiant. Si nigra macula in facie, & aliquibus lentigines orientur. Si colli pars anterior calidior: cervix verò frigidior sentiatur. Si circa secundum mensem præter consuetudinem salsa aut acida appetat. Quibusdam etiam os nimio humore madescit; & ad agendum torpor adest; & aspectus languidus ac planè effœminatus efficitur; & color ad albedinem ac pallorem mutatur, prægresso plerunq^q rubore: si fœminæ viriliores fuerint. Circa consueta item purgationis menstruæ tempora aggravantur prægnantes, & mammae intumescunt, lumbi difficulter movètur: vesica rubens ac ignitum lotium cum dolore excernit, & suppressorum mensum calor sinum ac cervicem uteri accendit. Quædam horum idem Aëtius ibid. c. 26. pro re natâ memorat: scil. constrictionē & siccitatē orificij matricis: recessum illius à pudendo: motû uteri post semen immissum, eumq^q constrictorium: vrinae stillicidium: quod præcipuè patiuntur, quæ primùm concipiunt, & quæ menstruas purgationes integrè non exegerunt: quanquam
idem

idem etiã alijs usq; ad diem 7. aliquatenus accidat: picam post d. 7. sed obscuram: acidorum ac salforum desiderium: pallorem: vertiginem: somnos longiores: suppressionem menstruorum citra molestiam. Fernelius l. 6. τὰ θορόγ. c. 17. pleraq; signa habet: quædam tamen addit: quædam intelligenter magis proponit. Addit coniiciendum, mulierem concepisse, si ingenti oblectatione una cum viro, aut certè paulò post semen ejaculetur. Item, cum iam fœtus loco dimoveri cœperit: quod quarto, aut quinto mense accidere cõsuevit. Addit & maculas faciei, eãsq; aut citrinas, aut lividas, aut lētigines referētes, quas nostra muliercula Kindtsflecke vocant. Urinæ insuper colorem citreũ, aut sublividum: substantiamq; crassiusculam ac subturbidam: quæ leviter concussa bullulas, vel granula è summâ coronâ demittat. Innatans, aut subsidens crassiusculum quid, quod malè cohaeret, & carpta lana haud absimile est. Alij vomitiones adyiciunt, quæ matutino potissimum tempore molestare solent: vini fastidium: tumorem ventris, qui sensim fit major: dentiũq; dolorem. Excipiunt etiam urinam mulieris, cuius impregnatio exploranda, vitro, eãmq; in illo probe obturato per triduum asservant: postea per pannum lineum, aut sericeum, valdè rarum, colant: in quâ si vermiculi conspiciantur, ajunt, fœminam concepisse: & quidem masculum, si vermiculi fuerint rubri: filiolum verò, si albi. Ex quibus patet, authores signa conceptionis petisse, ab excretis, retentis, generatis, accidentibus quibusdam & symptomatibus, h. e. actionibus animalibus, vitalibus & naturalibus, partim diminutis, partim corruptis ac depravatis. Ex abundantia etiam addidisse dὲ ἀκριβοῦς per experimenta. Nos vni signo minimè fidendum arbitramur. Ideòq; non distributivè singula: sed collectivè universa, aut saltem potiora, quæ probabilia magis, quæq; in plerisq; observantur gravidis, ad δεικνύων impregnationis adhibenda censemus. Profitemur etiam, pleraq; ex traditis σοχασμῶς, non τεκμήρια esse. Neq; omnia in omnibus: sed alia in alijs animadverti credimus. Fallacia etiam, incerta & dubia esse ea experimenta asserimus, quæ in medium allata. Cautè igitur, prudenter & circumspectè de

factâ conceptione pronuntiandum Medico: ne famam suam apud plebejos prostituat: neve gravidas, quas tales tamen minimè putat, pharmacis ledat: aut alias, quæ grævda non sunt, ipse autem pro gravidis habet, negligat: sicq; impietatis & homicidij inexcusabile crimen incurrat.

V.

Vtrum ex solius urinae inspectione certò dignosci possit imprægnatio? Expendenda quidem & alia essent signa, quæ tradita, inq; veritatem eorum inquirendum diligentius. Verùm cum nullū putetur certius urinâ, nullūmq; sit frequentius, eam solam impræsentiarum examinabimus. Ex illâ enim Empirici quidam, velut ex tripode, ariolari & vaticinari minimè verentur: ut apud vulgus in majori sint authoritate & existimatione. Pro affirmativâ autem sequentia proferuntur argumenta. I. quia authores proprias & peculiare utero gerentium urinas describunt: quemadmodum constat ex problemate præcedenti. II. quia eventus prædictioni respondet. III. quia urina per omnia totius corporis vasa, & consequenter etiam ipsius uteri, diffusa est. Pro negativâ verò valent sequentia. I. quia neq; Hippocrates, neq; Galenus urinam statuerunt imprægnationis signum διαγνωστικόν. Tradiderunt quidem signa illius multa: sed urina nunquam meminerunt. Et plurima de præsagijs ex urinâ protulerunt: sed nullibi, quod sciamus, dixerunt, eam conceptionem patrefacere. II. quia eadem in omnibus gravidis non est: sed in diversis diversa. III. quia nihil commercij habet cum fœtu & utero. Continetur enim illius materia in venis tantum & arterijs. IV. quia si quæ peculiaris est in gravidis, ea similis est illi, quæ à mulieribus redditur, quibus menstrua sunt suppressa. Non enim aliam ob causâ in gravidis alteratur, quàm ob mensium suppressionem. Ob hanc quippe, primis præsertim mensibus, quibus fœtus est pusillus, ac propterea pauci alimenti indigus, calor à superflui sanguinis redundantia obruitur, concoctio læditur, appetitus deicitur, crudi succi succrescunt, sanguis evadit impurior; cujus tum fœdus facies

faciei color, tūm symptomata alia, quæ præcedenti problemate
 recensita, signa sunt evidentissima. Mutato autem sanguine, fieri
 nequit, quin vehiculum ejus & comos individua, urina, muta-
 tionem aliquam subeat. At conceptionis proprium signum non est:
 sed commune tantum, quod etiam in alijs, quibus vel menses re-
 tenti: vel vitiosi humores, partim ob pravam viscerum constitu-
 tionem, partim ob victum malum generati, locum habet. Nam
 urina crassiuscula, subturbida, citrea, & quæ corpuscula flocculis
 carptæ lanæ similia continet, non in solis gravidis: verum etiam
 in alijs, quæ crudos genuerunt humores, observatur. Haud ergo
 signum est proprium & certum. Atq; huic lentetie nos quoq;
 subscribimus. Id enim proprium, certum & indubitatum signū
 est διαγνωστικόν, quod est ἀχόρισον, & quo præsentem, signatum adest:
 quo absente, abest. At præsentem urinam, quam descripserunt Ara-
 bes, non semper præsentem est imprægnatio: ut testatur experientia:
 (potest enim illius causa esse suppressio mensium, & proventus cru-
 dorum humorum: uti dictum:) nec eâ absente, absens est & im-
 prægnatio: quoniam multa, quibus viscerum est bonitas, & consue-
 ta victus salubritas, & quæ primis mensibus per venas cervicis u-
 teri adhuc purgantur, urinam mingunt, quæ ad sanarum quam-
 proximè accedit. Itaq; ad argumentum primum respondemus:
 describere quidem authores peculiare prægnantium urinam: sed
 non omnes eam pro certo & indubitato signo habere: neq; omnibus
 in unum versum gravidis attribuere. Ad secundum. Vna hirundo
 non facit ver: nec quod per accidens fit, per se fieri credendum. Di-
 gnoscunt quidem Empirici quandoq; imprægnationem, sed infini-
 ties etiam falluntur. Et si dignoscunt, non ex solâ urinâ digno-
 scunt: sed circumstantijs alijs. Quare imprægnationem non per se
 & directe: sed oblique solum ex urina inspectione venantur. Imò
 insulsi medicastri & agyræ, casu tantum: non arte & ratione,
 quandoq; verum ex urinis dignoscunt. Ad tertium. Materiam
 urina in vasis contineri concedimus, & per consequens etiam in
 vasis uteri. At fœtus in cavitate ejus continetur. Quid igitur
 lotio commercij cum fœtu? Est urina earum tantum partium ve-

rum signū, in quibus gignitur, & à quibus materiā generationis
sua accipit, & per quas transit, & in quibus asseruatur, & à qui-
bus expellitur: ut sunt hepar, vena, arteria, renes, ureteres, ve-
sica & vrithra. Nunquam ergo illi soli in dignotione impragna-
tionis fidendū: sed alijs etiā nitendum signis. At inquit quidam
vroscoopi, non urinam, qualis reddita, contemplandam esse:
sed spagiricā tractandam arte. Eā enim elici ex urina illud, quod
impragnationis tenuissimior. Respondemus, laborare frustra vroman-
tas. Experientia quippe docet, eos falli & hallucinari: & ratio
dicat, inauspicatō & χείρῳ ἢ hic exerceri chymicā. Signum namq;
minimè mutandum & alterandum, si signatum detegere debet.
Probat hoc pulsus, qui, si mutetur à pathematibus animi, disposi-
tionum cordis certus esse index non potest. Planum quoq; facit
urina: quæ, si alteretur à cibis, potibus & medicamentis, ni-
hil testari de venarum affectibus valet: sicuti neq; illa, quæ vesica-
lis & renalis dicitur: hoc est, quæ à vesica & renum agritudini-
bus mutata.


VI.


Num cognosci possit, mas an foemina vtero geratur?
Curiositas muliercularū facit, ut sexū quoq; concepti fætūs digno-
scere cogatur Medicus. Sunt autē & hic qdā σοχασμοὶ: τεκμήρια, h. e.
certa & apodictica signa, συλλογιστικὰ καὶ ἐπισημονικὰ alicubi à Gal:
appellata, nulla. Hippocrates dicit aphor. 42. s. 5. gravidam
benè coloratam, gestare marem: decolorem verò fœminam. Ga-
lenus ait in comment. causam esse, quòd mas sit calidior: fœmina
frigidior. Oportere autem mulierem rectè se gerere in victūs ra-
tione, ut in maris gestatione benè colorata maneat. Conferri quoq;
debere hunc bonū malumve colorem scribit, cum colore mulieris,
quando non erat gravida. Ad se ipsam enim, non ad aliam, hoc no-
mine conferri debet. Idem Hippocrates aphor. 48. s. 5. ait, ma-
res dextrā vteri parte: fœminas sinistrā magis gestari. Galenus
in comment. & lib. 14. v. part. c. 7. & com. 2. in 6. epid. t.
44. causam dat duplicem: unam, quia dextra vteri pars, ob jeco-
ris

ris vicinitatē, calidior est. Merito igitur marem, qui calidior fœ-
minā, concipit. Alteram, quia dextrum uteri cornu, (si modo in
specie humanā cornu appellandū) semen purius & calidius effun-
ditur: in sinistrum frigidius & aquosius. Vasa enim spermatica
ambo in dextro latere immediatē oriuntur à truncis vene cavæ
& arteria magna: in sinistro verò non item. Nam arteria
quidem spermatica prodit à trunco aorta: vena vero sperma-
tica ab emulgente ortum trahit: ac propterea semen adfert sero-
sius debiliusq̃, quod materia est fœmina. Hoc signum refert Gal.
com. 2. in 6. epid. t. 44. etiam tradidisse Parmenidem & Empe-
doclem. Sed & Aristoteles illud protulit l. 7. hist. an. c. 3. di-
xitq̃, certum non esse: cum multis ferentibus fœminam motus a-
gatur in dextro latere: & contrà in sinistro, gerentibus marem.
Id quod tamen s. minis potius qualitati, quàm conditioni loci tri-
buendum. Hippocrates l. de steril. signum aphor. 42. s. 5. repe-
tit: eiq̃, adjungit novum: si, inquit, papilla sursum conversa sint,
masculum gestat gravida: si deorsum, fœmellam. Δοκιμασίας illas
2. quas addit, legendas relinquimus studiosis. Libro de nat. pu-
eri docet, marem citius, tertio scil. mense: fœminam verò tar-
dius, nimirum quarto demum, incipere moveri. Avicenna l. 3.
can. fen. 21. tract. 1. c. 13. præter colorem, locum & motum, qua-
dam ponit alia. Marem enim in se continet gravida, si in actioni-
bus suis sit agilior, hoc est, promptior & expeditior: si onus uteri
minus sit grave: si appetitus sanior: si leviora sentiantur acci-
dentia illa, quæ aliàs imprægnatis accidere solent: si gravitatem
quandam percipiat in latere dextro: si mamma dextra magis tur-
geat sinistra: si plus lactis habeat, quàm sinistra: si lac, quod emul-
ctum, sit crassum: non tenue & aquosum, quod statim diffluet:
si papillæ sint rubicundæ: si pulsus dexter plenior & vehementior
percipiatur: si prægnans è sede progressura dextrum pedem pri-
mum promoveat: cumq̃, erigitur, super dextrum brachium ful-
ciatur: si oculus dexter levioris velociorisq̃, motus sit. Fœmellam
contrà gestat, si signa hisce contraria apparuerint. Experimen-
tum, quod subnectit, legant studiosi privatim. Aëtius tetr. 4.
ferm.

serm. 4. c. 9. eadem habet: sed addit in maris quidem gestatione
papilla dextra molem majorem: venarum atq; arteriarum dextri
lateris tumorem evidentiozem; earum precipue, que sub lingua
sunt: pulsum dextra manus validiorem, velociorem, majoremq;
ac duriozem: quem dicit certissimum minimeq; fallax esse iudici-
um. In foemina vero remissiora haec sunt omnia: & papilla insu-
per pallent: quas tamen Avicenna ad virorem, aut nigredine in-
clinare dicit. Recentiores hisce signis adjungunt quaedam alia.
Nam si mas conceptus, pupilla dextri oculi major est & splendidior,
quam sinistri. Arteria quoq; tempore magis sunt commota & tu-
mentiores quam lateris sinistri. Est insuper gravida animo hi-
lari: lac mature gignit: & mamma solidiores sunt. Sin concepta
foemella, tristis est mater: mammae sunt flaccidiores, & pendulae
magis: arteriae temporum sinistri lateris magis cientur: lac pro-
venit tardius. Habent & quaedam experimenta, V. G. Infun-
dantur guttae aliquot lactis in urinam gravidae. Si marem ge-
rit, fundum petunt. Si foeminam, nequaquam. Item, lac gra-
vide super vitrum spargatur, Soliq; exponatur. Si coeat,
& ut Avicenna loquitur, grana argenti vi-
vi, aut margaritas referat, maris est
index: si diffluet, foemella.

F I N I S.





Q1 A 6570


ULB Halle 3
002 937 867



16

W17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



CITATIO
D I C A
RAGESIMA
CVNDA:

entoratum Aca-
a proposita:

ÆS IDE
RE SEBIZIO,
Professore Medico:
Phyfico constituto:

ppondente
RUPERTO BESLERO,
rimbergensi,



NTORATI,
ebat Joannes Andrea.

M. DC. XXVII.

